



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

Concilium Andegauense.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

Cum igitur ex notis Capuensis Concilii manifestum sit, tempore Siricii pontificis, mandato eiusdem Concilii, Bonofum hæresiarcham ab Anyfio Theffalonicensi episcopo damnatum esse, ad hæc tempora Siricii hanc Synodum Arelatensem II. referendam esse putauit. Spero futurum, vt sententia auctoritate aliorum scriptorum destituta, per rationes supra allegatas pondus deinceps & auctoritatem accipiat.

^d *Eos qui.*] Ex hoc Canone claret plures esse Nicænæ Synodi constitutiones, quam viginti, cum ista non sit de illarum numero. Idem in Arelatensi Concilio Can. 14.

CONCILIVM ^b ANDEGAVENSE

IN ORDINATIONE TALASII EPISCOPI celebratum IV. Nonas Octobris, Opilione V. C. consule, ^c anno Christi CCCCLIII. Valentiniani III. Augusti XXVIII. Leonis I. papæ XIII.

TITVLI CANONVM.

- | | |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------|
| I. Vt clerici episcoporum iudicio acquiescant: illis inconsultis secularia iudicia non expetant, nec ad alium locum transcant; & sine illorum literis non peregrinentur. | VI. De iis qui alienis vxoribus coniugii nomine abutuntur. |
| II. Vt diaconi presbyteris humiliter deferant. | VII. Qui relicto clero ad sacularem militiam se conferunt, ab ecclesia eiciendi. |
| III. A violentia & perputatione abstinendum. | VIII. Vt monachi, qui propositum deserunt, & sine literis vagantur, ad communionem non recipiantur. |
| IV. Vt qui ab extraneis feminis reuocare se nolunt, non ministrent, & ulterius non prouehantur. Qui vero tradendis vel capiendis vrbibus interfuerint, a communione & cõuiuui arceantur. | IX. Alieno clerico episcopus gradum ne augeat. |
| V. Vt qui accepta pœnitentia resiliunt, & sanctimoniales qua decidunt, cõmunionem priuentur. | X. De laicis excommunicare non liceat, nisi probatis criminibus. |
| | XI. Qui digami fuerunt, diaconi vel presbyteri non ordinentur. |
| | XII. Vt pœnitentia conuersis omnibus pateat, & pro episcopi astimatione venia concedatur. |

PRÆFATIO.

Cum ad ordinandum episcopum in ciuitate Andegavorum episcopi conuenissent, & ^d Talasius esset episcopus ordinatus, omnibus pariter residentibus, ^e Leone, ^f Eustochio, ^g Chariatone, Rumorido, ^h Viuentio, ⁱ Victorio,

& Talaſio, epiſcopis, pari conſilio atque tractatu deciſionem, quam verbis decreuerant, etiam ſcripturæ mandare voluerunt: vt ab hac die, hoc eſt i v. Nonas Octobris, Opilione V. C. conſule, hæ regulæ eccleſiaſticæ ſeruarentur, quæ a ſenioribus iuxta auctoritatem ſcripturarum iam fuerant conſtituta.

CANONES.

I.

Primum ⁱ vt contra epiſcopale iudicium clericis non liceat * proſilire: neque inconſultis * ſacerdotibus ſuis ſæcularia iudicia expetere: ſed nec de loco ad alium ſine epiſcopi permiſſione tranſire: nec ſine commendatiis ſacerdotum ſuorum literis com̄meare.

* reſilire: * ſacerdotibus ſæcularium ind.

II.

^k Vt diaconi preſbyteris nouerint omni humilitate deferendum.

III.

^l Vt a violentia & crimine perputationis abſtineantur.

IV.

^m Familiaritatem extranearum feminarum nouerint eſſe vitandam. Sed ſi qui ſunt cælibes, non niſi a ſororibus, aut amitis ſuis, aut a matribus conſolentur. Quia ſicut bonum non eſt homini ſolum eſſe, ita familiares eſſe clericos feminis non oportet extraneis: quia frequenter plurimorum ruinas ſub hac occaſione deſlemus. Si quis autem poſt hoc interdicitum a prædictis familiaritatibus ſe reuocare noluerit, nequaquã gradu altiore donabitur: & ſi iam ordinatus fuerit, non miniſtret. ⁿ Tum ſi qui tradendis vel capiendis ciuitatibus fuerint interfuiſſe detecti, non ſolum a communionem habeantur alieni,

sed nec conuiuiorum quidem admittantur esse participes. ANNO
CHRISTI
455

V.

Quod etiam de his qui accepta poenitentia re-
filiierint, debita seueritate seruabitur. quæ forma e-
tiam circa eas quæ de virginitate sanctimoniali cri-
mine proprio deciderunt, statuto rigore perma-
neat.

VI.

Hi quoque qui alienis vxoribus, superstitibus
ipsarum maritis, nomine coniugii abutuntur, a
communione habeantur extranei.

VII.

Clerici quoque, qui relicto clero se ad sæcula-
rem militiam, & ad laicos contulerint, non iniuste
ab ecclesia, quam reliquerunt, amouentur.

VIII.

Monachi quoque, qui cœptam obseruationis
viam relinquunt, & absque epistolis, & absque cer-
tis negotiis vel necessitatibus per regiones vagantur
alienas, cognita districtione, si se non emendaue-
rint, ab abbatibus suis, vel a sacerdotibus, ad
communione non recipiantur.

IX.

Aliis quoque episcopis aliorum clericis gradum
augere non liceat.

X.

Quicumque autem vel de laicis, vel de clero,
ministri fuerint ordinati, & obseruare noluerint;
si laicus, communicare non liceat, nisi forte repro-
bauerint criminosos.

XI.

Non nisi vnus vxoris viri, iidemque virginibus

ANNO CHRISTI 453.
copulati, diaconi vel presbyteri ordinentur.

XII.

Pœnitentiæ sane locus omnibus pateat, qui conuersi errorem suum voluerint confiteri. quibus, perspecta qualitate peccati, secundum episcopi æstimationem erit venia largienda.

Quod ita inter prædictos viros pari consilio & ordinatione decretum est, vt si quis ex ipsis contra hanc ordinationem agendum esse præsumpserit, obuius fuisse regulæ ecclesiasticæ iudicetur: aduersus quem ceteris fratribus suis, quasi aduersus contemptorem, licebit, exurgere.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Concilium.*] Collatum est cum tribus exemplaribus, Engolismensi Tiliario, Fossateni, & Pithœano: ex quibus quæ minime dubia erant, in contextum de more coniecimur. Titulos vero, vbi corrupti aut mutili videbantur, alios substituiimus.

² *Tum si qui tradendis.*] Rectius, opinor, manuscripti, qui hoc membrum hinc diuellunt, & cum sequenti Canone copulant.

NOTÆ SEVERINI BINII.

¹ *Concilium.*] Hoc Concilio disciplina ecclesiastica, licentia quadam viuendi corrupta, in meliorem statum reformata fuit. Pater Fronto Ducæus societatis Iesu presbyter dignissimus, & professor in Galliis doctissimus, e temporum obscuritate vindicatum per annales illustrissimi cardinalis Baronii in lucem primus emisit. Apud Baronium desiderantur capitula Canonum, quæ magno commodo vniuersæ ecclesiæ idem pater Fronto ad nos transmisit, dum hoc ipsum Concilium prælo committeremus. Scribit se hæc exhibere ex manuscripto codice reuerendissimi domini Ioannis Filii episcopi Meldensis. Varietatem lectionis ex eodem codice collectam, suis locis addidimus. Rogo vt si plura huius generis ecclesiæ profutura habeantur, in appendice quadam vniuersali ad finem quarti tomi addenda communicentur.

² *Andegauense.*] Sic dictum a ciuitate quadam Gallie Lugdunensis, quæ hodie Latine Andegauum, Gallice *Angers* appellatur.

³ *Anno Christi 453.*] Quarto Nonas Octobris sub clarissimi viri Opilioni consulatione, qui cum anno Christi 453. Leonis 14. Marciani 4. & Valentiniani imperatoris 29. coincidit. Hæc acta Concilii testantur.

^d *Thalassius*.] Andegauensis episcopus, vt ex Turonensis Concilii subscriptionibus constat.

^e *Leone*.] Bituricensi episcopo.

^f *Eustochio, Charilatone*.] In manuscripto episcopi Meldensis Chariatone, scribendum fortasse, Charitone. Hæc Fronto.

^g *Vincentio*.] Manuscriptus Meldensis episcopi habet, *Viuentio*, vt pater Fronto notauit.

^h *Victorio*.] Alias Victorio Cenomanensi antistite, qui vna cum Thalasio Andegauensi in Venetico Concilio scriptus habetur.

Qua occasione hic Canon constitutus.

ⁱ *Vt contra episcopale iudicium clericis non liceat secularium iudicia expetere*.] Hæc pro ecclesiastica immunitate contra Valentiniani imperatoris sanctionem anno 452. Romæ promulgatam, & Christiano principe indignam, qua ecclesiasticum forum suis priuilegijs spoliavit, fori exceptionem clericis abstulit, nullamque extra causas fidei & religionis iuris dicendi auctoritatem illis concessit, nisi patres ex consensu apud aliquem episcoporum agere delegissent. Hæc patrum constitutio quam æqua: contra vero imperatoris Valentiniani sanctio quam fuerit iniqua & impia, non modo Cæii & Marcellini pontificum constitutiones, Mileuitani & Calchedonensis Concilii antiquiora decreta, & Maioriani & Iustiniani nouellæ constitutiones 79. 83. & 123. indicant; verum etiam ipsa denique ratio euidentissime ostendit. Omnium enim iudicio absurdum est, si ouis pastorem suum iudicet, si hodie prætor ad tribunal episcopi, cras episcopus ad tribunal prætoris euocari possit. Vt iudex terrenus summi iudicis seruos hominesque sacros capiat aut puniat, quis non absurdissimum esse dixerit? Piusimum igitur responsum fuit Constantini magni, quo ad episcopos loquens dixit: *Vos dii estis a summo Deo constituti: conueniens non est vt homo iudicet deos*. Quo sensu deos appellarit, diximus supra in notis edicti de donatione. Accedit quod magno malo totius Romani imperii Valentinianus imperator expertus fuerit, quod hanc sanctionem impiissimam ferendo, in iura ac priuilegia ecclesiarum hæctenus longo tempore vsurpata insurrexerit.

Attila flagellum Dei, cessit Leonis papæ.

Nam dum Attila flagellum Dei nominatus, a Gothis anno præcedente in Gallia victus fuisset, adeoque Romano imperio parum nocuisse potuisset, peccato imperatoris, iustoque Dei vindicis permisso, viribus auctus Aquileiam aliasque nobilissimas vrbes Italiæ expugnauit & diruit: ipsam quoque vrberem Romam vna cum imperio euertisset, nisi per Leonis papæ, cuius auctoritatem & potestatem suo edicto depresserat & humiliauerat, præsidium & auxilium munita fuisset. *Nam cum Romam quoque pararet irrumpere*, inquit Paulus diaconus lib. 15. miscel. *Leo magnus ad eum missus Valentiniani imperatoris accessit, eumque adeo mitem reddidit, vt illico promissa pace firmissima, ultra Danubium, non rediturus, abierit*. Qua ratione id effectum fuerit, hæc de re quæsitus, suo id indicauit responso, quod nimirum Leoni summo sacerdoti alium quemdam, fortasse Petrum apostolum, vt inquit diaconus, sacerdotali habitu altantem viderit, sibi que gladio minantem, si non Leonis mandato obtemperaret.

Attila cur ab vrbe euerfione abstinerit.

ANNO
CHRISTI
455.

^k *Vt diaconi presbyteris deferendum esse.*] Hoc idem constitutum fuit ante annos plusquam centum in Concilio Arelatensi primo, Canone 14. his verbis. *De diaconis vrbicis, vt non aliquid per se presumant, sed honor presbyteris referuetur.* Diaconi ob bonorū administrationem sibi commissam, maiore honore a populo obseruabantur, eaque occasione aduersus presbyteros ceruicem erigebant, eosque contemnebant; & cum ex antiqua lege ecclesiæ, presbyteris sedentibus, ipsi stare tenerentur, ex administratione bonorum elatiores facti, contra has leges & obseruationes ecclesiæ agebant. Cum ergo ille diaconorum fastus aliquoties depressus, hoc tempore in Galliis vicissim repullulasset, opus fuit, vt ecclesiasticæ censuræ securi malum alias amputatum iterum succideretur. Vide quæ de fastu Romanorum diaconorum, de contentione inter diaconos & presbyteros Romæ exorta, dixi supra tomo primo in notis ad vitam Anastasi I. verbo *Constituit, vt quoties euangelia canerentur, sacerdotes non sederent, sed curui starent.* Item quæ de diaconis dixi in notis Concilii Romani II. sub Siluestro, & Carthaginensi IV. Can. 34.

Cap. 1.
Diaconorū
arrogantia
quæ & vnde.

^l *Vt a crimine perputationis.*] Ita etiam mendose legit manuscriptus Meldensis. Sed pater Fronto in notis suis marginalibus, quas mihi transmisit, legendum putat *peruassonis*. Hoc enim sensu vsurpabant illud isto sæculo: vt peruadere sit alienas res inuadere, ac per vim vsurpare. Sic Concilio Agathensi, Can. 29. *Libertos legitime a dominis suis factos ecclesia tueatur: quos si quis ante audientiam aut peruadere aut exspoliare presumpserit, ab ecclesia repellatur.* Item Turonensi I. Can. 9. *Vt aut diæceses alienas, transgrediendo terminos a patribus constitutos, peruadat.* Hæc pater Fronto Ducaeus.

Cap. 3.

^m *Familiaritatem.*] De habitatione mulierum cum sacerdotibus & clericis, plura dixi supra in notis Can. apost. Concilii Elibertini, Nicæni, &c.

Cap. 4.

ⁿ *Non nisi vnius uxoris viri.*] Decernitur ne bigamus ordinetur. qua de re vide notas Can. apost. 17.

Cap. 11.

ANNO
CHRISTI
455.

CONCILIVM ARELATENSE III.
A RAVENNIO EPISCOPO IN CAUSA
Fauſti abbatis insulæ Lirinensis & episcoporum celebratum, Leonis I. papæ temporibus, circa annum Christi cccclv.

Exemplar epistolæ generalis, quæ ad episcopos inuitandos in causa insulæ Lirinensis missa est.

QUOTIENS membrum aliquod quolibet infirmitatis genere laborat, fieri non potest, quin eiusdem corporis etiam cetera membra condoleant. Et ideo causam